

ACTA CONCILII.

ACTA CONCILII

LITTERAE APOSTOLICAE
INDICTIONIS CONCILII PLENARII AMERICAЕ LATINAE

VENERABILIBUS FRATRIBUS
ARCHIEPISCOPIIS ET EPISCOPIIS EX AMERICA LATINA

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Cum diuturnum recolimus Pontificatus Nostri cursum, nihil unquam praetermisisse videmur, quod ad constabiliendum in istis gentibus promovendumque Christi regnum pertineret. Rerum quidem, quas Deo opitulante adhuc vestra causa gessimus, manet apud vos memoria et gratia, Venerabiles Fratres; quorum navitati diligentiaeque illa providentiae Nostrae officia haud frustra commendavimus. — Nunc vero Nostri erga vos animi novum extare documentum volumus; id quod iamdiu Nobis in optatis fuit. Etenim ex quo tempore saecularia sollemnia agebantur quartum, ob memoriam detectae Americae, sedulo cogitare coepimus, qua potissimum via communibus rationibus latini nominis, novum orbem plus dimidia parte obtinentis, prospicere possemus. Optimum autem ad eam rem fore perspeximus, si quotquot essetis ex istis civitatibus Episcopi consultum inter vos, invitatu et auctoritate Nostra, conveniretis. Siquidem conferendis consiliis sociandisque prudentiae fructibus, quos cuique vestrum usus rerum peperisset, apte per vos provisum iri intelligebamus, ut apud eas gentes, quas idem aut

certe cognatum genus coniunctas teneret, unitas ecclesiasticae disciplinae salva consisteret, vigesceret digni catholica professione mores, atque concordibus bonorum studiis Ecclesia publice floreret. Illud etiam magnopere suadebat initum exequi consilium, quod vos, sententiam rogati, huiusmodi propositum ingenti cum assensu exceperissetis. — Ut autem venit perficiendae rei maturitas, optionem vobis fecimus, Venerabiles Fratres, ut eligeretis locum, ubi id habendum esse Concilium videretur. Porro autem vos maximam partem significastis coituros libentius Romam, ob eam quoque causam, quod pluribus vestrum expeditior huc pateret aditus, quam propter difficillima ista itinera ad longinquam aliquam Americanam urbem. Huic declarationi sententiae vestrae, quae non leve habebat indicium amoris in Apostolicam Sedem, fieri non potuit, quin magna a Nobis comprobatio accederet. Quamquam moleste ferimus, qua nunc conditione sumus, ademptam Nobis facultatem, unde vos, Romae dum eritis, tam liberaliter honesteque tractemus, quam velimus. Igitur sacrum Consilium Tridentinis decretis interpretandis habet iam a Nobis in mandatis, ut Concilium Episcoporum omnium e rebus publicis Americae Latinae Romam convoct in annum proximum, atque opportunè praescribat, quas illud ad leges dirigi oporteat.

Interea coelestium munerum auspiciem, testemque benevolentiae Nostrae vobis, Venerabiles Fratres, et clero populoque singulis concedit, Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, ipsa die natali D. N. Iesu MDCCLXXVIII, Pontificatus Nostri anno vicesimo primo.

LEO PP. XIII.

Litterae circulares S. Congregationis Concilii ad Ordinarios dioecesanos Americae Latinae universae, de plenario Concilio.

Rñe Domine uti frater,

Cum SS̄mus D. N. pro sua, qua tenetur omnium Ecclesiarum sollicitudine, ad consulendum variis gravibusque Americae Latinae necessitatibus plenarium Episcoporum universae huius regionis Concilium cogendum censuerit, idque Apostolicis litteris « *Cum diuturnum* », - diei 25 elapsi mensis Decembris - indixerit; ut rite et ordinate omnia procedant, S. Concilii Congregationi commisit ut normas tradat, quibus tempus ac modus conveniendi determinate praefiniantur.

Iussa itaque Sanctitatis Suae faciens, S. Congregatio omnes et singulos Archiepiscopos atque Episcopos Rerum-publicarum Americae Latinae praesentibus litteris monet:

1.º Plenariam hanc Synodum Romae in aedibus Collegii Pii Latini Americani esse celebrandam, et dominicam diem, 28 Maii huius anni, SS̄mae Trinitati sacram, primo congressui esse assignatam.

2.º Synodo interesse debere omnes in primis Archiepiscopos. Quod si quis legitime impeditus venire non possit, Episcopum seligat, qui eum in Concilio substituat, edocta hac de re S. Congregatione.

3.º Convenire pariter debere, et superiori lege teneri singulos Episcopos, qui in aliqua Republica soli inveniuntur, quales sunt Episcopi S. Iosephi de Costarica, de Comayagua, de Nicaragua, S. Salvatoris in America centrali et de Paraguay.

4.º Quoad caeteros vero, cum haud conveniens visum sit durante Concilii tempore vastissimam hanc mundi partem propriis pastoribus omnino destitui, ideo SS̄mus D. N. singulis cuiusque ecclesiasticae provinciae Suffraganeis obligationem veniendi non imponit, sed mandat ut unusquisque Metropolitanus suffraganeos Episcopos congreget, qui unum vel plures ex Venerabilibus suis confratribus eiusdem Provinciae eligant et suo loco ad Synodum delegent.

5.º Praeterea vero in mox dicto provinciali conventu debebunt Episcopi animadversiones accurate expendere, quas circa schema ab exordio propositum Episcopus quisque faciendas censuit, quaeque hisce litteris adiunctae exhibentur, mentemque suam ac sententiam in omnibus proferre, ut Episcopus vel Episcopi provinciae delegati eam valeant in Synodo exponere ac declarare.

6.º Quod si quis legitima causa prohibeatur, quominus provinciali huic conventui adsistat, votum suum tam quoad praedictas animadversiones, quam quoad Episcopum vel Episcopos ad plenariam Synodum deputandos, ad Archiepiscopum in scriptis mittere teneatur, ut de eo debita ratio haberi queat.

Plurimum interest ad Dei gloriam et ad bonum animarum assequendum haec omnia fideliter servari, ut ex plenaria hac Synodo, Dei adiuvente gratia, optati ac salutare fructus uberrime consequantur. Quod et futurum S. Congregatio apprime auspiciatur et confidit.

Datum Romae, ex S. C. Concilii, die 7 Ianuarii 1899. — A. Card. DI PIETRO, *Praef.* — † B. ARCHIEP. NAZIANZEN., *Pro-Secret.*

MONITUM. — *Rōni Archiepiscopi et Episcopi ad Concilium venientes faveant secum ferre Schema Decretorum.*

Litterae Patrum Concilii
ad SSmum D. N. Leonem Papam XIII.

Beatissime Pater,

Episcopi Ecclesiarum Americae Latinae, Plenario Concilio hesternum die rite auspiciato, unanimi consensu emisere votum sese sternendi ad Pedes Sanctitatis Tuae, petituri Apostolicam Benedictionem, antequam negotiis in Concilio tractandis manus admoveant.

Antistites Americae Latinae iure gestiunt grati animi sensus iterare Sanctitati Tuae ob curam praecipuam quam ostendit erga ipsorum Ecclesias; maximeque gaudent quod, remotis ac superatis omnibus, quaecumque obstare videbantur, potuerint consilii Sanctitatis Tuae sapientissimis respondere, atque ita haud mediocre solatium afferre Patri amatissimo, seque instru-

menta fieri quodammodo novae addendae laudis Pontificatus Tui, iam plane glorioso, quod primum nunc viderit collectum Plenarium Concilium ex Latinis Ecclesiis Americae.

Quod vero locum habendo Concilio Romae Episcopi elegerint, illud etiam prae oculis habuerunt ut obsequii testimonium Apostolicae Sedi peculiare exhiberent, ut Sanctitati Tuae ipsi se sisterent, ut ad Apostolorum sepulcra eam sapientiam haurirent, qua magis idonei efficerentur in iis decernendis quae ad rem catholicam in suis regionibus provehendam apprime pertinerent.

Faxit Deus ut a Nobis susceptum opus possit Sanctitatis Tuae consilii et propositis respondere, Eidemque probari, ut uberes religioni afferat fructus, cuius ab incremento ipsius civilis societatis prospera conditio maxime pendet.

Hanc nacti occasionem, idem Antistites gratias Sanctitati Tuae agunt maximas, quod hoc benevolentiae testimonio eos fuerit prosequuta, ut S. Romanae Ecclesiae Princeps Cardinalis daretur *praeses ad honorem* habendis publice comitiis, itemque quod Archiepiscopos Americae Latinae voluerit singulis sessionibus praeesse, eosdemque, dum sua quisque vice hoc munere fungitur, Delegati Apostolici honore insignitos haberi.

Ecclesiae Americae Latinae Episcopi Deo supplices fundunt preces, ut velit quam diutissime tueri ac servare Sanctitatem Tuam, cuius in Pontificatu maximo regimen id spectavit constanter, ut novum quoddam vitae robur adderet gentibus, quod quidem non aliunde expectari potest nisi ex reditu ad principia illa sanctissima quae tot Apostolicis Litteris summa sapientia conscriptis Sanctitas Tua commendavit ac retinenda praecipit, ex arctiore in dies cum Sede Apostolica coniunctione, erga Eum denique qui Christi in terris vicem gerit, stabili obsequio atque firmissimo.

Sanctitatis Tuae

Humillimi et Obsequentissimi Filii.

Omnes Archiepiscopi et Episcopi praesentes subscripserunt.

Romae, die 29 Maii a. D. 1899.

SS. D. N. LEO PP. XIII
RESPONDIT SEQUENTIBUS LITTERIS APOSTOLICIS:

LEO PP. XIII.

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.

Concilium plerarium vestrum, dudum exoptatum, diutinisque curis dispositum, coactum demum esse et vos iure laetamini et Nos cummaxime gratulamur. Eadem autem Nobis vobisque laetitiae capiundae ratio: de coetu enim vestro spem optimam portendimus universi, quod uberrimas utilitates Americae latinae populis sit pariturus. Qua quidem spe eo Nos firmiter tenemur quod et alacritatem perspeximus, qua, licet tam longe dissiti, Romam quisque vestrum libens convenit; et concordiam summam mirati sumus, qua, diversitate gentium posthabita, operam laboremque Concilii tractationibus unanimes impenditis. Accedit porro ad fiduciam Nostram firmandam studium et obsequium in Apostolicam Sedem, quae in ipso Concilii exordio testari placuit, datis ad Nos litteris officii observantiaeque plenis. Ex qua profecto coniunctione vestra cum Cathedra Beati Petri, amplissima divinae gratiae subsidia coetui vestro demeritis, ut quae secundis adeo auspiciis sunt coepta, secundissimis etiam eventibus absolvantur. De benevolentia autem Nostra, Venerabiles Fratres, nihil plane est quod dubitetis: eam praestitimus, quum, magna animi iucunditate, singulos alloqui sumus: praestitimus etiam, quum, ad augendam conventui vestro dignitatem, aliquot e Cardinalium Collegio in publicis Comitibus praeesse ad honorem per-

missimus. Eius praeterea testem Apostolicam benedictionem esse volumus, quam, munerum coelestium auspiciem, vobis universis amatissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXIII Iunii
MDCCCXCIX, Pontificatus Nostri anno vicesimo secundo.

LEO PP. XIII.

CAEREMONIALE CONCILII

METHODUS SERVANDA IN CONCILIO PLENARIO EPISCOPORUM
AMERICAEE LATINAE, ROMAE IN AEDIBUS COLLEGI PII
LATINI AMERICANI EX AUCTORITATE LEONIS XIII PONT.
MAX. ANNO MDCCCXCIX CELEBRANDI.

MONITUM.

Rōmī Patres, Consultores, alque alii, quibus in Concilio plenario Episcoporum Americae Latinae satus tribuitur iure locus, infra habent sibi propositum, quem rituum tenorem sequi debeant.

Descriptus fere est e Caeremoniali Episcoporum et Pontificali Romano, nonnullis tamen praescriptionibus ad peculiare sive loci, sive temporis rationes immutatis. Eum igitur, ut omnia ordine, decoreque fiant, prae oculis habeant oportet.

DE IIS QUAE CONCILIO ANTECEDUNT,

§ I.

Die et hora statutis, Emiss et Rōmūs D. Cardinalis Angelus Di Pietro, Titulo SS. Bonifacii et Alexii, Praefectus Sacri Concilii Tridentinis decretis interpretandis, Delegatus D. N. Leonis XIII Pontificis Maximi, rochetto, mantelletto et mozzeta